Optas inſuper cor tuum illuminari ad cognitionem oblitorum vt de illis valeas ſpecialiter penitere. Quarto proponis te veraciter emendare ſi ſuperuiuere debueris et nūquam plus mortaliter peccare ſcienter ⁊ ex propoſito :et poti⁹ omnia quantūcunqꝫ cara dimittere immo etiam vitam corporalem perdere anteqꝫ deum velles plus offendere: Rogas inſuper deum vt det tibi gratiam hoc propoſituz continuandi et non recidiuandi. Quinto indulges ex toto corde omnib⁹ qui vnqꝫ aliquod detrimentum vel nocumentum verbo aut facto tibi intulerint ob amorem et venerationem domini noſtri ihesu chriſti a quo ⁊ tu veniā ſperas Petis etiā fideliter indulgeri et remitti tibi ab his quos offendiſti quouis modo. Sexto vis per te ablata reſtitui integraliter inquantū teneris iuxta tuam facultatem valoremqꝫ etiā ad omniū bonoruz tuoruz ceſſionē atqꝫ renunciationē vbi alias ſatiſfactio fieri nō valeret. Septimo ſic Credis ꝙ propter te mortuus ſit chriſtus ⁊ ꝙ aliter ſaluari nō poteſt niſi per meritum paſſionis ihesu xp̄i Et agis etiam de hoc gratias deo ex corde quantū vales. Quicunqꝫ ergo ad predictas interrogationes ex cōſcientia bona ⁊ ex fide non ficta bene poterit affirmatiue reſpondere ſatis euidens argumentum habet ſi ſic deceſſerit ꝙ ſit de numero ſaluādorum. Quiſquis vero de premiſſis ab alio interrogatus nō fuerit preſertim cum ſatis ſint pauci atqʒ rari qui huiuſmodi artis habuerint ſcientiam: introrſus redeat interrogans ſeipſum ſubtilius conſiderando an taliter ſit diſpoſitus vt prefertur eo ꝙ abſqʒ diſpoſitione tali nulli omnino poteſt eſſe ſalus Qui autem ſic diſpoſitus eſt vt dictum eſt: ſe totum paſſioni chriſti recommendet ⁊ committat: et continue inquantuʒ poterit et infirmitas permiſerit: eam ruminet et mediteur. Nā per hoc omnes dyaboli tentationes et inſidie maxime ſuperantur.

De inſtructione morituri et obſecrationibus eius particula quarta.

Retcrca cuz ſecundū Grego. Omnis chriſti actio ñ noſtra eſt inſtructio. Jdcirco ea que chriſtus in cruce moriens fecit: eadem cuilibet morituro pro ſuo modulo atq3 poſſibilitate in extremis extant facienda Fecit autez chriſtus in cruce quinq3. Orauit eñ. Nam dicitur oraſſe pſalmos iſtos: Deus deus meus reſpice in me et octo ſequētes vſq3 ad iſtū vſū incluſiue. Jn manus tuas dñe cōmendo ſpiritū meū Jtem fleuit. teſte apoſtolo. Jtem clamauit et animā pr̄i commēdauit atq3 ſpm tradidit vt teſtat̄ euāgeliſta Sic 7 infirm⁹ in articulo mortis cōſtitut⁹ orare debet ſaltē corde ſi nō pōt voce Vñ Jſido. Melius eſt cū ſilētio orare corde ſine ſono vocis q̄3 ſolū verbis ſine intuitu mētis. Scdo debet clamare fortiter ſ3 ī corde nō voce Plus eñ deus audit cordis deſideriu3 q̄3 vocis clamorem Nam corde clamare nihil aliud eſt q̄3 remiſſionem peccatoꝝ 7 vitam eternā fortiter deſiderare. Tertio debet plorare nō oculis carnalibus ſed lachrimis cordis ſc3 vere penitēdo. Quarto animā deo cōmendet dicens Jn manus 7c. Quinto ſpiritum deo tradat ſic q̄ voluntarie voluntatem ſuam in hoc diuine ꝯformet voluntati vt oportet . Proinde quādiu agoniſans loqui et vſum rationis habere poterit ſequentes dicat obſecrationes. O ſumma deitas immenſa bonitas clementiſſima atq3 glorioſiſſima trinitas ſumma dilectio amor 7 caritas miſerere mihi miſerrimo peccatori tibi enim commēdo ſpiritum meum. Jtem dicat. Deus piiſſime pater miſericordiarum fac huic paupercule creature tue miſericordiā. Adiuua me nunc in hac vltima neceſſitate. Succurre iam domine egenti anime 7 deſolate vt nō a canibus infernalibus deuoret̄ Jtem dicat. Dulciſſime et amantiſſime domine iheſu chriſte fili dei viui ob honorem et virtutem tue beatiſſime paſſionis iube me recipi inter numerum electorum tuorum. Saluator et redemptor meus redde me totum tibi. non me renuas a venia non me repellas. Domine iheſu chriſte paradiſum tuum poſtulo non ob valorem meritorum meorum cum ſim puluis

et cinis et peccatoꝛ miſerrimus:ſed virtute et efficatia tue ſan=
ctiſſime paſſionis per quā me miſerrimum redimere voluiſti:
et mihi paradiſum tuo ſanguīe emere dignat⁹ es. Item dicat
pluries ſepe repetens iſtū verſum ad minus ter. Dirupiſti do
mine vincula mea et tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Nam iſte
verſus ſecūdum Caſſido. tante virtutis creditur: vt peccata
hoīm dimittantur ſi in fine vite dicaẽ. Item dicat. Domine ihe
ſu chꝛiſte pꝛopter illā amaritudinem quā pꝛo me ſuſtinuiſti in
cruce: maxime in illa hoꝛa quādo aīa tua ſanctiſſima egreſſa eſt
de coꝛpoꝛe tuo: miſerere anime mee in egreſſu ſuo. Itez poſt
hoc inuocet ſereniſſimo ac inſtātiſſimo coꝛde et oꝛe inq̃tuz pre
ualet glorioſiſſimā virginem Mariaz omniū peccatoꝛū effica=
ciſſimam atq3 pꝛomtiſſimā mediatricem atq3 adiutricē: ſic di=
cens: O regina celoꝛū mater miſericoꝛdie cōfugium atq3 refu
gium peccatoꝝ. reconcilia me vnigenito filio tuo: eius clemē=
tiam pꝛo me indigno interpella: vt ob amoꝛem tui mea dimit
tat peccata perducēs me in gloꝛiā ſuam. Deinde inuoca ſctōs
angelos ſic inquiens. Spiritus celoꝛū angeli beatiſſimi aſſi=
ſtite mihi queſo migrāti ex hoc ſeculo et potēter me eripite ab
omnibus aduerſarioꝛū meoꝝ inſidijs: et animā meā in veſtrū
conſoꝛtium aſſumite. Tuq3 pꝛecipue angele bone cuſtos me⁹
mihi a domino deputat⁹. Deinde apoſtolos: martires: confeſ
ſoꝛes atq3 virgines: ſpeciali⁹ tamē illos ſanctos atq3 ſanctas
quos vel quas pꝛius ſanus in veneratōe habuit atq3 dilexit:
in auxiliū ſuum inuocet in iſto neceſſitatis articulo diligenter.
Item dicat ter vel quater vł pluries hec ſilia verba que beato
Auguſt. aſſcribūtur. Pax domini noſtri ihesu chꝛiſti et virt⁹
paſſionis eius et benedictio omniū ſanctoꝝ et cuſtodia angelo
rum necnō ⁊ ſuffragia omnium electoꝝ ſint inter me et omnes
inimicos meos viſibiles ⁊ inuiſibiles in hac hoꝛa moꝛtis mee.
Poſtea ſubiūgat etiam dicēdo ter iſtum verſum. Largire cla
rum veſpere quo vita nuſq̃ decidat ſed pꝛemiū moꝛtis ſacre
perhēnis inſtet gloꝛia. Si autem infirm⁹ pꝛedictas orationes
ne ciat: vel infirmitate inualeſcente dicere nō poſſit: dicat eas
aliq̃s de aſtātib⁹ clara voce coꝛā illo: mutatis illis q̄ ſūt mutā
da. Ipſe tamen agonizans quādiu vſum rationis habuerit

oret intra ſe corde tantũ atq; deſiderio prout ſcierit ⁊ poterit. et ita orando ſpiritũ domino reddat: et ſaluus erit.

## De exhortationibus morituri. particula quinta.

Notandũ deinde ſane atq; ſtudioſe aduertẽdũ ꝙ rariſſime etiã aliquis inter religioſos et deuotos ad mortẽ ſe diſponit tẽpeſtiue vt oportet: eo ꝙ quilibet ſe diutius victurum exiſtimat nequaq; ſe credens moriturꝝ. Quod nimirꝝ ex inſtinctu diaboli fieri certũ eſt. Nã ſicut luce clari⁹ cõſtat plures ꝑ talem inanẽ ſpẽ neglexerũt ſeipſos ꝙ inteſtati aut iprouiſi ⁊ indiſpoſiti moriũt. Quapropter quiſq; caritatem dei necnõ celũ habeat aiaꝝ. Talis vtiq; vnũquẽq; ꝓxim oꝝ egrotãtẽ aut in alio corꝑis periculo vł anime coſtitutũ ſtudeat ſolicite inducere ⁊ mouere: quaten⁹ primo et principaliter oĩbus poſtpoſitis de medicina ſpirituali ⁊ remedio q̃ꝫtoti⁹ ſibi ꝓuideat indilate: frequẽter eñ vt dicit q̃dã decretał. c. Cũ infirmitas. de pe. ⁊ re. li. v. Corporalis infirmitas ex aĩe lãguore ortũ habet. Et ideo papa per eãdẽ decretalẽ quilꝫ medico corꝑis diſtricte precipit ne cuiq; egroto corporeã cõferat medicinã ꝑuſq̃ꝫ ad ſpũalẽ medicũ eũdẽ moneat ⁊ inducat. Sꝫ res iſta quaſi ab oĩbus vertit̃ incõtrariũ. Citius eñ hoĩes carnalem querũt medicinã q̃ꝫ ſpũalẽ. Similiter oĩa mala alia ⁊ aduerſa ꝓ pctis nutu dei ſolent venire ꝓpheta teſtãte. Nõ eſt malũ in ciuitate qđ domin⁹ nõ faciat. Intellige nõ malũ culpe ſed pene ꝓ culpa. Quãobrẽꝫ infirm⁹ quiſq; :aut in alio conſtitutus periculo ſtudioſius extat inducẽd⁹ vt ante omĩa cum deo ſibi pacem faciat: ſpiritualem potius adhibens medicinam ſacramẽta videlicet eccleſiaſtica deuote recipiendo teſtamentum ordinãdo domum ſuam atq; negocia alia que habet legitime diſponendo. Nullatenns autem detur infirmo ſpes nimia corporalis ſanitatis conſequende. Tamen frequenter contrariuꝫ fieri ſolet a multis in periculum animaꝝ circa illos qui actu agonizãt eo ꝙ nullus eorum aliquid vult audire de morte. Unde ſepe per vnam talem inanem et falſam conſolationem et fictam ſ-

nitatis corporis confidentiam certam incurrit corporis dam-
nationem Et ideo hortandus eſt infirmus vt per veram con
tritionem puramq̨ confeſſionem anime procuret ſanitatem
que etiam ad ſalutē corporis ſi ſibi expediēs fuerit valere po
terit et ita quietior erit atq̨ ſecurior. Cum autem teſte Grego.
Vera contritio rara ſit: et ſecūdū Auguſti. ꝛ alios doctores pe
nitentia que videtur haberi in extremis vix ſit vera penitentia
ſufficiens ad ſalutē: In illis tamē precipue de quibus conſtat
ꝙ toto tempore vite ſue precepta diuina vera atq̨ ſpontanea
voluntate nunq̨ veraciter ſed ſolum ficte atq̨ ſpecietenus ſer
uauerit. Idcirco vnicuiq̨ tali ad mortis articulū deducto ſua
dendum eſt: vt ſecundum ſui poſſibilitatē mentis ratione la-
boret ad penitentiam eius ordinatā ſeu verā vt videlicet non
obſtante dolore vel timore ſibi inherentibus vtatur ratione in
quantū poteſt et conetur habere diſplicentiā voluntariā pro
pter finem debitum ideſt propter deum ꝛ renitatur male incli
nationi habitus ꝛ delectationi precedentium ꝛ laboret diſpli-
centiam quantū poterit habere. licet breuē. Et ne ad deſperati
onem remittatur preponat̄ ei illa que ſuperius in ſecūda par
ticula de tentatione deſperationis dicta ſunt. Similiter ꝛ mo
neatur vt etiam contra alias tentationes poſitas ibidē animo
ſus exiſtat fortiter atq̨ viriliter reſiſtēdo preſertim cū per dya
bolum minime cogi poſſit. Itē moneat̄ vt decedat tanq̨ verꝰ
et fidelis chriſtianus. Attendat̄ inſuper an vinculo excōmuni-
cationis aſtrictus teneat̄. Informetur quatenꝰ in hoc totis vi
ribus ſe ordinationi ſancte mr̄is eccleſie ſubmittat vt abſolua
tur. Itē ſi moriturꝰ prolixū temporis ſpatium ad collationem
habeat ꝛ non morte feſtina perueniat̄ legende ſūt corā eo hy-
ſtorie et orōes deuote in q̄bus pridem ſanꝰ āpliꝰ delectabat̄ vł
reſumēda ſunt precepta diuina vt profundius meditet̄ ſi q̄d
inuenerit ſe contra ea negligenter deliquiſſe. Si infirmꝰ vſum
loquendi perdidit habet tamen ſanam et integram noticiam
vt ad ſibi factas orationes vł coram eo recitatas ſigno aliquo
exteriori vel ſolo conſenſu cordis reſpondeat. hoc enim ſufficit
ad ſalutem. Curandnm tamen extat vt orationes faciat vel
coram eo fiant antequam vſum loquendi perdat.

Nam ſi interrogationibus veri ſimiliter appareãt reſpõſiones
infirmi nõ vſqзquaqз ſufficiẽtes exiſtere ad ſalutẽ remediũ per
informationẽ neceſſariam apponať modo q̃ fieri poterit meli
ori etiã ſi manifeſtãdũ et fuerit periculũ quod incurit nõ obſtã
te ꝙ in h̄ plurimũ terreať. Juſtũ eſt eñ vt cũ terrore ſalubri cõ
pungatur et ſaluetur q̃ꝫ ꝙ cum blãditijs et diſſimulatõe noxia
cõdemnetur. Abſurdũ quippe nimis eſt ⁊ chriſtiane religioni
cõtrarium immo dyabolicum vt homini chriſtiano morituro
mortis et anime periculum ex humano timore ne conturbeť
abſcondatur. Quocirca Yſaias propheta regẽ Ezechiã egro
tantem vſqз ad mortẽ ſalubriter terruit dicens eum moriturũ
cũ ad huc mori non deberet. Et Grego. monachũ ꝓprietariuз
in mortis articulo cõſtitutũ vt in quarto dialegoꝝ. li. legiť ter
ruit ad ſalutẽ. Jtem preſentetur infirmo ymago crucifixi: que
ſemꝑ circa infirmos eſt habenda. vel etiam ymago beate vir=
ginis vł alterius ſancti quem quidẽ ſanus venerabať. Habe
atur etiam ibidẽ aqua benedicta que ſupra infirmũ et alio cir=
cunquaqз frequẽter aſpergatur vt ſic ab eodem demones cõ=
peſcanť. Nequaq̃з enim cuiq̃з morienti amici carnales: vxor:
liberi: diuitie ac alia temporalia ad memoriam reducanť: niſi
inquantũ infirmi ſpiritualis ſanitas poſtulat et requirit. Por=
ro in materia iſta que extreme neceſſitatis extat ſubtiliſſime cõ
ſiderẽtur atqз ponderentur ſingula puncta ⁊ ſentẽtie quibus
adiecta ſũt quo ad omnia eo ꝙ nõ verbis ſed aduerbijs mere
mur: prout in cõpendio theologice veritatis continetur. Cui
autem placet et libenter ſine periculo bene et ſecure mori: ta=
lis curare debet ſtudioſius ſcire moriẽdi artẽ premiſſam eius
que diſpoſitionẽ dum ad huc ſanus eſt ſolicite ſtudeat ⁊ diſcat
et nequaq̃з mortis expectet ingreſſuз. Nam dico tibi cariſſime
frater in veritate crede mihi ꝙ morte aut graui infirmitate in=
grediente ipſa deuotio egreditur: et quãto propinquiꝰ hec ac=
ceſſerit ſeu ſe inuoluerit tanto longius illa fugam dabit. Si g̊
non vis decipi nec errare ſi vis ſecurus eſſe: Jnſtanter age qδ
potes duз ſanus ſis ⁊ vſum rationis habes: vt rationis diſpo=
ſite ac dñs actuũ tuoꝝ eſſe poſſis. O q̃з mľti imo infiniti vltiaз
neceſſitatẽ expectãtes ſeipſos deceperũt atqз neglexerũt. Uide

ergo frater atq̧ caue ne tibi contingat. Nulli ergo incongru=
um vel mirũ videatur de tam ſolerti cura ⁊ ſolicita diſpoſiti=
one ac ſtudioſa exhortatōe ipſis moriētibus vt premittit̄ exhi
benda Quia nimiꝝ tanta taliſq3 vis et neceſſitas ipſa ēſt indu
cta ac incũbit vt ſi poſſibile eēt tota ciuitas ad moriētem cōueni
re deberet feſtināter ſicut in quibuſdā religionibus moris eſt
vbi ſtatuitur ꝙ quādo infirmus morti appropiquat: tũc opor
tet vt mox audita tabula quacũq3 hora omēs fratres vbicũq̧
fuerint: omībus dimiſſis occupationib⁹ occurrēt q̄citius poſ
ſunt morienti. Unde etiā dicitur ꝙ religioſi et mulieres curre=
re non debeant niſi ad morientem vel ad ignem

De orationibus dicendis quan=
do quis moritur ꝑticula ſexta.

Ltimo ſciēduz ꝙ orōnes ſequētes dici poſſunt ſup in
firmũ laborātem in agone. Q si eſt perſona regularis
tũc conuocato cōuentu primũ cũ tabula vt moris eſt p̄
mittitur letania cũ orōnibus et pſalmis conſuetis atq3 ordina
tis more ſolito. Poſtea ſi adhuc ſuperuiuit: ſubiũgunt̄ oratio
nes ſubſequētes ab aliquo preſertim ꝓ vt opportunũ fuerit
Porro apd̄ infirmos ſeculares dicātur orōnes iſte prout deuo
tio ⁊ diſpoſitio ac cōmoditas eoꝝ aſſiſtentiũ requirit ad tēp⁹
ſed ſunt heu pauciſſimi non ſoluz apud ſeculares: verũ etiam
in plurimis relgionib⁹ qui huiuſmodi ſcientie habent artē: et
in mortis articulo ſuis proximis aſſiſtunt interrogādo ammo
nendo in formādo: et etiā ꝓ ipſis exorādo vt p̄fert̄ p̄ſertim cuz
ipi moriētes nōdum volunt mori. Oratio.

Per amorē quo te digniſſimũ ignoſcētiſſimũ et delicatiſſi
mum filium paterne caritatis pro nobis factũ hoīem vulnera
ri ac mori pro ſalute hoī voluiſti: indulge famulo tuo. N. miſe
ricordiſſime iheſu omne quod cogitatu verbo vel facto: actio
nibus vel motibus viribus et ſenſib⁹ corporis ⁊ anime deliq̄t:
et in verā remiſſionē tribue illi ſufficiētiſſimā emēdātionez ſeu
emũdationē: illā videlicet ꝓ qua toti⁹ mundi culpa ſoluiſti ac
in plenā ſuppletōez oīm negligētiaꝝ ſuaꝝ: adde illi ꝑfectiſſimā

ꝯuerſationē illā quā ab hora ꝯceptōis tue vſqꝫ in horā mortis habuiſti ⁊ inſup fructū oīm bonoꝝ opeꝝ q̄ tibi ab initio mūdi vſqꝫ ī finē ab oīb⁹ electis placuerūt vł placere potuerūt Orō

In vnione feruentiſſimi amoris qui te vitam omnium viuē-tiuꝫ coegit incarnari: et anxiato ſpiritu in cruce mori pulſam⁹ ad medullam benigniſſimi cordis tui: vt anime famuli tui. N. fratris noſtri omnia peccata dimittas: et in ſanctiſſima tua cōuerſatione ac p̄ediɡniſſime tue paſſionis merito: omiſſa ſuppleas faciaſqꝫ experiri ſuperhabūdantiſſimā multitudinē miſerationū tuaꝝ vſqꝫ ad oēs: et ſpecialiter ad iſtā pſonā fratrem noſtrū. N. quem proximū vocare diſponis p̄pares tibi placidiſſimo mō ſibiqꝫ ⁊ vniuerſitati vtiliſſimo cuꝫ dulci patientia: vera penitentia: plena remiſſione peccatoꝝ: fide ſincera ſpe firma ⁊ caritate pfecta vt in pfectiſſimo ſtatu int̄ dulciſſimū āplexū et ſuauiſſimū oſculū tuū expiret ad tuam eternā laudē

In man⁹ inextinguibilis mīe tue pater ſancte: pr̄ Oratio iuſte et amātiſſime: cōmendam⁹ ſpiritū anime famuli tui. N. fratris noſtri ſecundū magnitudinē amoris quo ſe anima filij tui ſanctiſſima in cruce tibi cōmēdauit ſuppliciter deprecantes quaten⁹ per illā ineſtimabilē dilectiōis caritatē: qua tua diuīa pr̄nitas inſe traxit illā aīaꝫ: vt in hora vltīa famuli tui. N. fr̄is nr̄i ſuſcipias in eodē amore ſpūꝫ ei⁹. Ad ſanctū Michaelē. orō

Sancte Michael archāgele domini noſtri iheſu chriſti: ſuccurre nobis apud altiſſimū iudiceꝫ. O pugil inuictiſſime aſſiſte nunc famulo tuo. N. fratri noſtro in extremis ualde laboranti et defende eū potenter a dracōe infernali: ⁊ ab omī fraude malorum ſpirituum. Inſuper exoramus te preclarū atqꝫ decorū miniſtrū dignitatis vt in hac extrema hora fratris noſtri benigne ſuſcipias: ac leuiter animā ipſius in ſinū tuum dulciſſimū recipias: ⁊ perducas eam in lucem refrigerij pacis et quietis Amen. Oratio ad beatam uirginem Mariam.

Intemerata ⁊ in eternū benedicta uirgo Maria totius anguſtie adiutrix ſuccurre nob̄ dulciter ⁊ oſtēde famulo tuo. N. fratri noſtro in extremis tuā gratiſſimaꝫ faciē in vltima neceſſitate ſua deſiderantem: ⁊ diſperge omnes inimicos eius in virtute altiſſimi filij tui dn̄i noſtri ihū xp̄i et ſancte crucis: et libera eum de omī anguſtia corporis et anime: vt laudes dicat domi

no deo in ſecula ſeculorum Amen Oratio.
Eya mi dulciſſime redemptor piiſſime iheſu benigniſſime: per illā lachrymabilē vocem: qua in humanitate moritur⁹ ꝑ nobis laboribus ⁊ doloribꝰ paſſionis cōſūptus dilectū ad patrem clamares: ne longe facias a fa mulo tuo. N. fratre noſtro auxiliū tue miſerationis in hora ⁊ momento afflictionis aīme ſue pre defectione et cōſumptione ſpiritus te inuocare in extrema hora nō valēte: ſed ꝑ triūphū ſancte crucis: ⁊ ꝑ ſalutē ſalutifere paſſionis et amoroſe mortis tue: cogita de ea cogitatiōe pacis ⁊ nō afflictiōis ꝑ miſericordiſſime miſeratōis ⁊ ꝯſolatōis Libera eā de oībus anguſtijs: ipſiſqꝫ manibus quas pro ea in ſancta cruce figi permiſiſti clauis accutiſſimis: ihū bone ⁊ dulciſſime pater erue eā a tormētis ſibi deputatis: et perduc eam in requiē eternā cū voce exultationis ⁊ confeſſionis Oratio
Miſericordiſſime domine ihū xp̄e fili dei viui in vnione illius qua tuā ſanctiſſimā animam patri tuo celeſti in cruce moriens commēdaſti. commēdamꝰ ineffabili tue maieſtati animā fratris noſtri. N. orantes miſericordiſſimā bonitatē tuaꝫ quatenus per orationē ⁊ per meritū eiuſdē aīe tue ſanctiſſime per quā ſaluātur omnes aīme ⁊ morte debita liberātur: anime famuli tui. N. fratris noſtri miſerearis liberās eam miſericorditer ab oībus miſerijs et penis et perducas eā propter amorem et interceſſionē tue dilectiſſime mr̄is ſemꝑ virgis Marie ad cō tēplandā gloriā tue iocūdiſſime viſionis. Qui cū codeꝫ pr̄e et ſp̄u ſancto uiuis ⁊ regnas deus in ſcl'a ſcl'oꝝ Amē Oratio
Queſumꝰ miſericors deus qui ſecūduꝫ multitudinē miſerationū tuaꝝ peccata penitentiū deles: et preteritoꝝ criminuꝫ culpas per venie remiſſionē euacuas reſpice propicius ſuper hunc famulum tuū. N. fratrē noſtrū ⁊ remiſſionē omniū peccatoꝝ ſuorum tota cordis cōtrictione poſcētem deprecatꝰ exaudi. Renoua in eo piiſſime pater quicquid in eo terrena fragilitate corruptum vel quicq̄d dyabolica fraude violatū eſt: et vnitati corporis eccleſie membris per redemptionē congrega. Miſerere dn̄e geituū ſuoꝝ. Miſerere lacrimaꝝ eiꝰ ⁊ nō habētem fiduciā niſi in tua mīa ad tuā ſacrā recōciliationē admitte Per chriſtum dominum noſtrum Amen Oratio.

Commēdo te omipotenti deo cariſſime frater cuius es cre=
atura: vt cum humanitatis debitū morte interueniēte perſol=
ueris: ad creatorē tuū, qui de limo terre te formauit reuertaris
Egredienti itaq3 anime tue de corpore ſplendid⁹ angelorum
cetus occurrat. iudex apoſtolo℞ te ſenat⁹ turma circūdet. can
didatorum tibi martirum triumphator excercitus obuiet. Lu
cida rutilantiu3 te confeſſorum turma circumornet. iubilātiu3
te virginū chorus excipiat: et beate quietis in ſinū patriarcha=
rū amplex⁹ ſuſcipiat: ꝛ tibi appareat q̄ te inter aſſiſtētes iugit̄
intereſſe diſcernat. Ignores oīno qd̄ horr3 in tenebris: qd̄ ſtri
det in flāmis ꝗ trucidat in tormētis Cedat tibi teꝛrim⁹ ſatha=
nas cū ſatellitib⁹ ſuis neq3 aduē:u ſuo vicat ſed corā angelis
dei cōtremiſcat: atq3 in eternitatis chaos in mare demergat.
Exurgat deus et diſſipētur inimici eius: et fugiant qui oderūt
cum a facie eius. Sicut deficit fumus deficiant: et ſicut fluit
cera a facie ignis: ſic pereāt peccatores a facie dei. Et iuſti epu
lentur et exultent in conſpectu dei: et delectentur in leticia.
Confuudantur igitur et erubeſcāt cōtra te tartaree legiones:
et miniſtri ſathane iter tuum impedire nō audeāt. liberet te a
cruciatu xp̄us: qui pro te mori dignatus eſt. Cōſtituat te chri=
ſtus filius dei viui intra paradiſi ſui ſemper amena virentia.
Et inter oues ſuas te ver⁹ ille paſtor agnoſcat. Ille ab oībus
peccatis tuis te abſoluat: atq3 ad dexterā ſuam in electorū ſu=
orum te ſorte conſtituat: vt redemptorē tuum facie ad facie3
videas: et preſens ſemper aſſiſtās manifeſtiſſimā beatis ocu=
lis aſpicias veritatē. Conſtitut⁹ igitur inter agmina beatoru3
contemplationis diuine dulcedine potiaris in ſecula ſeculoru3
Amen. Exemplum. Fuit quidā papa qui dum ad extrema
veniſſet interrogabat capellanū ſuum virū idoneum et deuo=
tum que3 plurimū diligebat quibus ſuffragijs poſt mortē cū
vellet iuuare apud deū. Reſpōdit. ꝙ oīb⁹ quib⁹ poſſet ꝛ que
cunq3 iuberet pro ſalute anime ſue facere vellet. Tunc papa
ait Non peto a te aliud ſubſidium niſi du3 uideris me in ago
nia poſitum dominicam orationem pro me tribus dicas vici=
bus. Qui ſibi hoc libentiſſime promiſit. Ad quem papa. Cu3
primū pater noſter dixeris dic in honore agonie ihesu christi

obſecrans vt multitudinez ſui ſanguinei ſudoris quem pre timore ſue anguſtie pro nobis copioſiſſime effudit. contra multitudinem peccatorum meorum patri offerre et oſtendere dignetur: ꝓ omnibus anguſtijs quas peccatis meis exigentibꝰ merui. Cum ſecundum pater noſter dixeris dic in honore omnium paſſionum et amaritudinum chriſti ihesu quas in cruce ſuſtinuit: et maxime in illa hora quando anima eius ſanctiſſima de ſuo corpore ſacratiſſimo eſt egreſſa: vt eas patri offerre et oſtendere dignetur contra omnes penas et paſſiones quas pro peccatis meis timeo meruiſſe. Cum dixeris tertium pater noſter. dic in honore ineffabilis caritatis ihesu chriſti que ipſum de celis ad terram ad tollerantiam omniū iſtarum paſſionum traxit: vt hac caritate me ſaluare: et celos mihi apire dignetur qui meis meritis ſaluari nequeo ac celeſte regnuz obtinere. His dictis promiſit capellanus hec omnia ſe libentiſſime facturum. quod et fecit cum diligentia et deuotiōe qua potuit. Poſt mortem reuerſus papa ſplendidus et coruſcās gratias immenſas ſibi referens dicendo ſine omni pena ſe fore liberatuz. Nam poſt primum pater noſter: ihesus chriſtus ſudorem ſuum ſanguineum pro me oſtendens patri omnez meam protulit anguſtiam. Poſt ſecundum pater noſter: per amaritudinem omnium paſſionum ſuaruz omnia peccata mea vt nubem deleuit. Poſt tertium pater noſter per caritatem ſuam celos reſerauit et me cum gaudio introduxit. Propter hanc reuelationem quam predictus capellanus q̄ꝫ plurimis reſerauit: in pluribus locis mos inoleuit: vt ibidem predictus modus orandi apud morientes deuote obſeruetur ſub ſpe certiſſima ꝙ ipſa oratio ſic facta valet hominem a demonibus liberare: peccata diluere: et celeſte regnum aperire. Poſt hec dici debent iſte orationes que ſequuntur. Kyrieleyſon. Xpriſteleyſon. Kyrieleyſon. Domine miſerere nobis Pater nr̄. Aue maria. Saluator mūdi ſalua nos qui ꝑ crucē ⁊ ſanguinē tuuz precioſiſſimū redemiſti mūdū auxiliare nobis te dep̄camur deus noſter

Oratio.

Domine ihesu chriſte per agoniam ⁊ orationē tuā ſanctiſſimā qua oraſti ꝓ nobis in mōte oliueti qñ factꝰ eſt ſudor tuus

ſicut gutte ſanguinis decurrētis in terraʒ: obſecro te vt multitudineʒ ſanguinei ſudoris tui queʒ pre timore anguſtie tue copioſiſſime pro nobis effudiſti offerre et oſtēdere digneris deo patri omnipotenti pro multitudine peccatorum huius famuli tui. N. ꝛ libera eum in hac hora ſue mortis ab omnibus penis et anguſtijs ſuis quas pro peccatis ſuis timet ſe meruiſſe. Qui cuʒ patre et ſpū ſancto viuis ꝛ regnas in ſecula ſeculoꝝ: Amē. Kyrieleyſon. Xp̄eleyſon. Kyrieleyſon. Domine miſerere nobis. Pater noſter. Aue maria. Sanctifica nos dn̄e ſignaculo ſancte crucis vt fiat nobis obſtaculum cōtra ſeua iacula inimicorum.

Oratio.

Domine iheſu chriſte qui pro nobis mori dignatꝰ es in cruce obſecro te vt amaritudies omniū penaꝝ tuaꝝ quas pro nobis miſeris peccatoribus ſuſtinuiſti in cruce quando ſanctiſſima aīa tua eſt egreſſa de corpore tuo: offerre ꝛ oſtēdere digneris deo patri omnipotenti pro anima famuli tui. N. et libera eum in hac hora exitus ſui ab omībꝰ penis et paſſionibus quas ꝑ peccatis ſuis ſe timet meruiſſe: Qui cū p̄re et ſpū ſctō viuis et regnas in ſecula ſeculorū Amē. Kyrieleyſon. Xp̄eleyſon Kyrieleyſon Domine miſerere nobis. Pater noſter. Aue maria. Protege ſalua benedic ſanctifica domine famulū tuū. N. per ſignū ſancte crucis morbos auerte corporis et anime hoc contra ſignū crucis nullū ſtet periculum.

Oratio

Domine iheſu chriſte qui per os prophete dixiſti. In caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans tui obſecro te vt eandē caritatem tuā que te de celo ad terram ad tollerādas omniū paſſionum tuaꝝ amaritudines attraxit: offerre ꝛ oſtendere digneris deo patri omnipotenti ꝑ anima huius famuli tui. N. et libera eū ab oībus paſſionibꝰ et penis quas ꝑ peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Salua animā eiꝰ in hac hora exitus ſui in gloria eterna: Qui cuʒ patre et ſpū ſctō viuis et regnas in ſecula ſeculoꝝ. Amen.

Oratio.

Domine iheſu chriſte qui redemiſti nos precioſo ſanguine tuo: ſcribe in aīa huius famuli tui. N. vulnera tua p̄cioſo ſanguine tuo: vt diſcat in eis legere tuum dolorem contra omnes dolores et penas: quas ꝑ peccatis ſuis timet ſe meruiſſe ama

ras vt iuuat tibi amoꝛe inuiſibili quo a te et omĩbus electis tu
is nunq̄ poſſit in eternū ſeparari. Fac eā domine ihū xp̄e par
ticipē ſacratiſſimoꝝ miſterioꝛum ꝛ ſacramentoꝝ tuoꝛum Fac
eam participē omniū oꝛationū et beneficioꝝ que fiunt in eccle
ſia tua ſancta. Et faceam ꝑticipē omniū benedictionū gratiaꝝ
et meritoꝛū ꝛ gaudioꝝ omniū electoꝛum tuoꝛum qui tibi pla
cuerunt ab inicio mūdi: et concede ei vt cū oībus in his cōſpe
ctu tuo gaudeat in eternū. Qui cum patre ꝛ ſpū ſancto viuis
et regnas in ſecula ſeculoꝛum. Amen.

Cum autem tota ſalus hominis in fine cōſiſtit: ſolicite cu=
rare debet vnuſquiſq̄ vt ſibi de ſocio vel amico fideli et deuo=
to atq̄ idoneo an̄ moꝛtē prouideat qui in extremis ei aſſiſtat
vt ad fidei cōſtantiam pacientiāqꝫ atq̄ deuotionē: necnon cō
fidentiam atqꝫ perſeuerantiā ipſuꝫ ſolicitus incitet ꝛ animet
vt etiā demū in agonia omnes oꝛationes precedentes ſuꝑ eū
fideliter legat atqꝫ dicat cum attentōe debita atqꝫ deuota. Ad
quaꝫ tamen oꝛationum efficatiam oīno extat neceſſaria diſpo
ſitio preuia moꝛientis: ſicut in precedēti materia de arte moꝛi=
endi eſt expreſſum. Unde vnicuiqꝫ certe et ſecure moꝛi volēti
ſuper omnia eſt neceſſe vt hec prius anteq̄ euꝫ moꝛs occupet
diſcat. Hec de arte moriendi dicta ſufficiant.

DE XABREGAS DA LIVRARIA



Cum orationibus pulcherrimis dicendis circa agonizantem.

Inc 1266